



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. De Divisione in Actum Moralem internum & externum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

DISPUTATIO VI.

De Divisionibus Actus Moralis.

Plures possent adferri divisiones actus moralis, sed earum aliqua debent nosci, ex materiis philosophicis, qualis esset divisio in actum liberum, & non liberum. Tractatio autem de libertate non est huius loci: perstringemus itaque nonnisi ea quæ hic commodius absolvi possunt.

QUÆSTIO I.

De Divisione in Actum Moralem internum & externum.

PRÆMITTO 1. *Ex dictis supra colligi potest, quod bonitas vel malitia objectiva, primò & radicaliter sit in ipsis objectis, & ex his derivatur in actus.*

PRÆMITTO 2. *Cum ipsi actus, quantum ad præsens, sint duplices, alii quidem interni, alii externi, interna est volitio eleemosynæ, externa porrectio illius; ponendum pro fundamento est: quod actui interno primò & per se conveniat bonitas vel malitia, derivativè autem & secundariò ipsi actui externo. Quæ quidem doctrina, non ita communis est, ut non dentur qui oppositum sentiant, ut videtur apud Oviedo hic Contr. 8. à n. 2. Ratio allati est, quia illi actui primò & per se convenit bonitas vel malitia, cui convenit primò & per se voluntarium & liberum. Nam bonum vel malum moraliter, fundatur in voluntario: & sicut quia non competit gradui vegetativo primò & per se esse sensitivum, sed animali; hinc etiam sensitivum primò & per se est animal: ita & in præsentia, cum primò & per se conveniat actui interno voluntarium; illi primò & per se conveniunt bonitas vel malitia. Hoc ipsum sic aliter proponitur.*

Si actui externo primò & per se conveniret esse bonum vel malum moraliter; conveniret et ratio specifica primò & per se, sine ratione generica, quod absurdum? Seq. probatur: quia ratio voluntarii, est ratio generica, & ratio boni vel mali moralis, est ratio specifica. Ergo cum actui externo, primò & per se non competat ratio voluntarii; nec primò per se competet ratio boni vel mali moraliter. Licet autem legibus humanis, primò per se prohibeatur actio externa, secùs Divinis: quia lex Divina ad interna vel maximè attendit, illaque obligat. Neque inde sequetur poni per nos bonitates & malitias quatuor nempe objectivam, formalem, internam & externam; rigorosè enim loquendo sunt nonnisi duæ, nempe objectiva derivabilis in formalem, & interna derivabilis in externam.

PRÆMITTO 3. *Quid sit sentiendum de illa doctrina cit. Oviedo n. 11. ubi docet, dari malitiam*

vel bonitatem objectivam ex objecto & circumstantiis desumibilem, quæ per se conveniat actui externo, priusque sit ipsa malitia formalis, sicut quodlibet specificativum, est prius respecificata? Hæc doctrina indiget explanatione: Si enim dicat, esse illam malitiam per se convenientem actui externo; vel quòd secundum formalitatem præcisam interni & externi, malitia vel bonitas per prius competat externo actui, falsa est propositio, propter immediate dicta. Si autem per se illi dicatur convenire, quia etiam in se habet malitiam quandam, & in quantum comparatur actus externus, tanquam objectum ad actum internum; vera est propositio, & ad hoc videtur respexisse S. Thomas q. 1. de malo a. 3. Peccatum primordialiter, & objectivè, prius est in actu exteriori, quam interiori, intellige si comparatur actus exterior tanquam objectum ad actum interiore. Subdit S. Thom: Sed comparativè ratio peccati, & mali moralis, prius est in actu interiori quam in exteriori, h. e. si comparentur inter se secundum præcisas formalitates interni, & externi; prius malitia reperitur in actu interno.

PRÆMITTO 4. *Quid sentiendum, an objecta tribuant effectivè, an formaliter malitiam vel bonitatem actibus? de quo tractat Arriaga hic d. 16. s. 1. sed si nolimus de vocibus disputare: Certum est rigorosè loquendo, non tribui formaliter: quia, quod formaliter sit ab alio, sit per conjunctionem, & unionem cum eodem, & ita formaliter constituitur album, unita albedine: rigorosè etiam illa bonitas non communicatur efficienter ab objectis, cum objecta non sint existentia. Commodius itaque dicetur, quòd objecta tribuant bonitatem vel malitiam terminativè, modò actus proportionetur meritis objecti, hoc est, ne malum ametur, bonum odio habetur.*

PRÆMITTO 5. *Quomodo ipsemet actus internus derivet malitiam in externum, de quo agit cit. Oviedo. à n. 40. quod videntur aliqui explicare per relationem, inter actum externum & internum. Sed hic modus explicandi*

NON SATISFACIT; Quia explicatio ista, deberet esse per prima; Jam autem ipsum fundamentum relationis, prius est relatione, & per illud sufficienter explicatur dicta derivatio, stat ergo potius dicta derivatio in hoc, quia actus hic externus, sit dependenter ab interno, ita ut cum illo, constituat unum actum moraliter.

De Actu externo comparato ad internum fore palmariter disputari, an actus externus superaddat aliquam bonitatem vel malitiam actui interno? Afirmat Ripalda de ente supernaturali,

rali, disp. 68. Sed quia illius argumentis respon-
dit Lugo disp. 26. de Pœnitentia scit. 4. restau-
ravit suam doctrinam Ripalda per appendicem
disp. 75. utriusque partis momenta examinan-
da sunt.

DIFFICULTAS I.

*Proponuntur Argumenta, quod bonitatem &
malitiam actus externus interno super addat.*

REvocabimus illa selectis nonnisi difficilio-
ribus ad 3. capita partiamur difficultatem.
Sicque

Punctum Difficultatis I.

Proponitur principale Fundamentum.

PRI-MUM ARGUMENTUM est Ripaldæ,
quod innitur huic fundamento.

Meritum & laudabilitas sunt distincta: me-
ritum enim importat obsequium vel conveni-
entiam operis cum bonis alterius; laudabilitas
autem importat convenientiam cum dictamine
rationalis suppositi operantis: ex quo sic arguit;
Meritum est obsequium cedens in honorem aut
commodum Principis, aut Reipubl. valentis il-
lus compensare: sed actio exterior auget obse-
quium Dei: quia actio exterior conducit maxi-
me ad excitandam in aliis laudem, cognitionem
Dei, affectus internos, &c. Ergo actio exterior
auget meritum.

RESPONDET I. De Lugo n. 60. Negando
Maj. dicitque meritum ut meritum posse sumi
in ordine ad id, quod convenit ipsi operanti;
non autem per convenientiam operis cum ho-
nori & bonis præmiantis. Tum, quia non mi-
nus ingenua est, & aliena à proprio commodum
conditio præmiantis & laudantis, & tamen lau-
dantis non attendit, quid sibi commodum attulerit
ille, quem laudat, sed quid in eo sit boni. Tum,
quia præmia secundum gubernationem re-
ligionis, non sunt instituta, ut ille qui præmiat, ho-
noretur; sed ut ille, cui præmium proponitur,
bonus fiat. Unde si esset nonnisi sola creatura
rationalis, illam etiam oporteret allici præmio,
ut detereretur suppliciiis: gubernator enim, ut gu-
bernator respicit bonum ipsius subditi. *Hæc*

Responsio
NON SATISFACIT. I. Tum, quia non solum
ingenuitati obest intendere suum bonum, sed
etiam obest bonum majus acceptum ab inferiori
vel æquali proportionato non recompenfare
præmio. Ergo ad ingenuitatem attendendo,
pro majori recepto commodum, vi meriti, debet
reddi majus præmium. Tum, quia quod ad-
fertur de laudabilitate, disparitatem habet: eo,
quod in Republica rationali debuerit respon-
dere, & poni aliquod invitativum honestæ ac-
tionis, quamvis illa nonnisi bonum esset ipsius
operantis, & hoc invitamentum est laus. Hinc

si in laudando aliquis attenderet ad suum com-
modum, hoc ipso perverteret ordinem, quem
intendit Respubl. rationalis in laudando; non
perverteretur autem hic ordo, si pro majori re-
cepto commodum, majus tribuatur præmium:
quia Respubl. rationalis providit præmium tan-
quam invitamentum majoris meriti: per quid
enim ad majus meritum quàm tale invitaret? Ne-
que valet si dicas, spectare hoc ad gratitudinem:
Si enim gratitudo majori merito dat majus præ-
mium, cur obsequio cedenti in commodum a-
lius, titulo illius commodi, non dabitur majus
præmium? Tum quia, ut detur aliquid Respon-
sioni, dici potest, aliam esse hanc propositio-
nem: nisi hoc esset mihi utile, nullo modo si-
gnificarem aliqua redhibitione, id mihi place-
re, & aliam hanc; facio hanc redhibitionem,
quia recepi etiam utile: hoc alterum est secun-
dum leges ingenuitatis, secus illud primum; vi-
detur enim fordidari præcisâ quæstione sui;
ad eum planè modum, quo dolere de inferno
hæc mente; non dolerem nisi esset infernus, est
actio fordida, & tamen dolere propter metum
inferni, est actio honesta. Videantur dicta de
Attritione.

NON SATISFACIT 2. Quamvis præmia
non sunt instituta, ut præmians honoretur: Ne-
go tamen, quod non sunt instituta, quia honora-
tur. Quamvis autem dicatur, quod governa-
tos, quæ gubernator, respiciat bonum subditi: id
etiam stat cum dictis; hoc ipsum enim quod præ-
miet utilitatem sibi allatam, cedit in bonum
subditi præmiati.

NON SATISFACIT 3. Exiis quæ adfert Ri-
palda. Tum quia S. Th. I. secundæ q. 21. a. 3.
in corpore docet, quod meritum & demeritum
dicantur in ordine ad retributionem. Tum,
quia præmium sive spectet ad justitiam com-
mutativam, sive ad distributivam, semper di-
ctum commodum præmiantis involuit; quia
hæc justitiæ semper sunt inter datum & acce-
ptum. T. q. ex communi acceptione re-
tribuere & remunerari, quod facit præmium;
importat aliquid in ante tributum, aliquid mu-
neris acceptum. Unde etiam victoria unius
Reipubl. non est meritum erga aliam, quando
non cedit in bonum illius.

RESPONDERI potest 2. ex eodem Lugo-
ne. Quia quamvis ponatur præmium & pœna
ordinari ad lucrum præmiantis, adhuc hæc, pro
foliis actibus internis, danda essent: cum enim
actus externi non sunt in nostra potestate, nisi
mediis internis, sufficeret allicere hominem ad
actum internum efficacem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum, quia in Republ.
quæ est inter homines, attenditur præcipue
nonnisi ad actus externos: quia attenditur ad a-
ctus, quibus venit in communionem vitæ, ad
quam inter homines non venit, nisi per actus
externos, & seclusâ communionem vitæ, non ex-
porri-

porrigeret sese ad quidquam Respubl. humana. Tum, quia pone, quod homicida malâ etiam intentione neminem pergit occidere &c. quid ad Rempubl. humanam interioritas actus illius? Tum, quia quamvis actio externa dependeat ab interna: quia tamen Respubl. humana, magis curat externam actionem, illius intuitu potius, debuit assignare præmium. Et certè si attenditur ad actum internum, ergo pro voluntate militandi deberet numerari stipendium, & non pro sola militatione. Unde Respubl. dicit: Ego intendo actionem externam, hancque præmio, ad quam ponendam utere jure tuo, & tunc homo procedit ad actum internum tanquam gubernatorem externi, ita, ut æque esset contenta militatione externa, etiam si illa nullo modo penderet ab interna voluntate, quantum attinet ad eventum suæ defensionis. Quando autem dicit Lugo, sepe actum externum aliis hominibus esse ignotum, & Angelos non posse scire, an sit bona actio, cum nesciant intentionem: id etiam non convincit: quia sufficit illam actionem, quantum est ex illa posse esse manifestam, & Angeli actum externæ virtutis videntes prudenter de intentione colligunt, attendendo ad alias circumstantias, quod sufficit, ut illa actio cedat in bonum Reipublicæ rationalis.

RESPONDET 3. Lugo n. 46. Quod in ordine ad debitum gratitudinis, attendi possit ad effectum re ipsa secutum, idque probat instantiis. Nam volentibus me duobus liberare à morte efficaciter, magis illi sum obligatus, qui de facto me liberavit. Item si duæ feminae sanctissimæ, affectu æque perfectæ, sese obtulissent ad concipiendum Verbum Dei, & altera illarum ad hoc eligeretur, ut fieret Dei Mater, quod attinet ad meritum, utraque fuisset æqualis, sed tamen Filius Dei plus deberet illi, cujus Filius esset, &c. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum, quia redivit paritas in ordine ad gratitudinem. Actus externus adfert plus præ interno. Ergo & in ordine ad meritum. Tum, quia parum videtur interesse in ordine ad augmentum & complementum, ut ita dicam, fortunæ: titulo gratitudinis debeatur aliquid, an titulo conferendi præmii? modo verum sit, propter externam actionem majorari aliquem. Tum, quia ipsa gratitudo munere aliquo significata vix voce differt à præmio: Ergo si actio externa deposcit majorem gratitudinem, deposcet & majus præmium.

RESPONDETUR itaque aliter huic Argumento ex diversis principiis. In primis negando Min. & ad probationem illius dicendo, quod mera excitatio aliorum, quæ fit per actus externos, non augeat majus obsequium Dei: quia si aliquis non faceret hanc intentionem ut augeatur gloria Dei, sed cum positiva nolitione illius

gloriæ poneret actionem externam; ille non faceret majus obsequium Deo, quantumvis tunc alii excitarentur ad bonum: Ergo præcisa positio actionis externæ, non augeat obsequium, sed illius tota dignitas, stat in actu interno volendi per hoc propagare gloriam Dei.

Neque valet si dicas, non omnem actum externum augere meritum, sed prout connexum cum interiori: non inquam valet, quia hoc ipsum prout connexum, refundit omne meritum in actionem internam: ad eum plane modum, quo quando dicitur paries, quæ albus disgregat visum, sensus est albedo unita parieti, disgregat visum, licet hæc denominatio albi, non sit etiam sine subiecto.

Deinde non videtur legitimum esse principium ad probandum, quod augeatur meritum per actionem externam: quia alii excitantur illa actione ad bonum: pone enim impossibile est alias creaturas rationales, præter Petrum, ponere illum facientem obsequium etiam actionis externæ, nunquidne in principiis Ripaldæ, non superadderetur tunc novum meritum? & tamen non ratione boni exempli.

Neque valet si dicas: Quod illa actio, quantum est ex illa esset edificativa aliarum creaturarum rationalium: hoc enim non videtur posse augere meritum: quia hæc formalitas, si hircocervi essent rationales edificarentur bona concione, non augeret meritum concionis: ita cum etiam tunc supponerentur creaturæ rationales esse, sicut hircocervi, ratione edificationis illarum, quæ haberetur, si non implicarent contradictionem, non apparet, quomodo augeatur meritum.

Directè autem ad objectionem dici potest, quod scilicet actio exterior, augeat obsequium derivatæ honestatis ab obsequio interno, sed non augeat in se, adferendo formalitatem obsequii: consequenter etiam erit non nisi derivatæ honestatis, quod infra explicabitur.

Punctum Difficultatis 2.

De Reliquis Argumentis.

SECUNDUM ARGUMENTUM est. Actio externa augeat satisfactionem supra solam internam. Ergo augeat etiam meritum.

RESPONDET I. de Lugo. Satisfactionis condignitatem, desumi ex æquitate, ut quile voluntariè castigavit, & passus est penam laudabiliter, non cogatur iterum pati. At verò meritum & ejus condignitas, fundatur in æquitate, postulante, quod bonitas operis præmiatur, & homines alliciantur ad amorem boni. Si autem ex defectu eventus consecuti, bonitas operis minus præmiaretur, homines minus allicerentur à præmio proposito ad studium virtutis, timentes, quod absque suâ culpa, possent comitari boni fraudari præmio, ob effectum non consecuti.

secutum: oportebat ergo eos hoc metu liberari.

Hæc Responsio

NON SATISFACIT 1. Quia quavis satisfactio desumatur ex dicta æquitate non deponenda pœnæ &c. si castigatio externa nihil superaddit internæ, quomodo ejus haberi potest respectus? si autem superaddit, cur non superadditur etiam formalitas meriti, & cur æquitas postulanti suam etiam formalitatem bonitatis, non addet in ratione meriti quidquam, alius externus: cum debuerint allici homines ad amorem, etiam actionum externarum.

NON SATISFACIT 2. Quia ne detererentur homines à faciendo bono internè, sufficeret securus esse, quod actio interna etiam si non subsequatur externa sit præmianda; sed ad hoc assecurandum, non erat necesse ponere præmium æquale soli internæ, ac si externæ actioni conjungeretur; idque idè, quia talis assecuratio redderet illos ad actiones externas pigros. Et sicut, quamvis Deus titulo gratitudinis per Legem magis præmiet actionem etiam externam, quam solam internam, nec per hoc redimuntur homines ad bene operandum pigri; sic quamvis non præmietur tantum sola actio interna, ac cum adjungitur illi externa, non redimuntur per hoc homines pigri ad operandum.

NON SATISFACIT 3. Quia restaurat argumentum Ripalda: æquitas postulat ut non castigetur à Deo peccator à se ipso voluntarie castigatus: Et etiam postulat æquitas, ut præmietur iustus, exhibens obsequia externa, cædencia in ipsius & Reipubl. rationalis bonum &c. *Hinc*

RESPONDETUR aliter eidem argumento. Quod actio externa augeat satisfactionem, non nisi derivativè non augendo formaliter. Disparitas etiam assignari potest, quia in satisfactione imponitur v. g. opus externum, & cum satisfactio nihil aliud sit, quam positio exigiti in recompensam, tota formalitas satisfactionis habet tunc in ipso actu externo: In merito autem non ita evenit: quia ad meritum non sufficit velle ponere actionem externam, nec meritum per hoc definitur; Ergo, quamvis in Satisfactione attendatur ad solam actionem externam, non erit necesse ad eandem attendi in merito.

TERTIUM ARGUMENTUM est. Quia de facto tam status Ecclesiasticus, quam Politicus decernit præmia, vel pœnas actionibus externis: & idem poterit facere & Deus. Ergo apparet, quod actio externa, superaddat malitiam vel bonitatem.

RESPONDET Lugo. Argumentum multum probare: quia Ecclesia punit actum externum, tunc etiam, quando effectus consequitur post pœnitentiam; & ita evadit quis irregularis, etiam post pœnitentiam, si ab eo propinatum venenum occidat alium. Deinde Ecclesia

non punit etiam externa æquali pœna, & ita duobus in eundem jaculantibus inimicum, non punitur irregularitate aberrans. Addit Ecclesiam multum reservare ad Dei judicium, & cum non puniat de internis, expectat externa, per quæ metitur quantitatem culpæ internæ.

Hæc Responsio

NON SATISFACIT 1. Quia concedo non in omnibus Deum debere sequi conditionem Ecclesiæ in modo procedendi ad puniendum: sed quaeritur, cur non possit Deus & Ecclesia in hoc se æqualiter habere, ut decernant specialem pœnam vel præmium actui externo, idque ad exigentiam eternitatis?

NON SATISFACIT 2. Quia ut urget Ripalda si infunderet Deus principio creato notitiam cordium, adhuc præmia & supplicia, potuissent statui actui externo, qui confert vel officit bono publico; cui tamen potestas creata providere tenetur: Ergo non debet ad hoc recurri; idè actus externi præmiari vel puniri: quia non noscuntur interni.

NON SATISFACIT 3. Restaurat enim Argumentum Ripalda. Potestas creata decernit supplicia, non solum propter actus internos, externo, notificados, sed etiam propter illummet ipsum externum, quatenus consulit bono publico. Ergo sunt præmiabiles vel punibiles à Principe creato: Ergo & à Deo.

RESPONDETUR aliter. Distinguendo in primis secundam Illationem. Ergo apparet, quod actio externa superaddat malitiam vel bonitatem derivatam, concedo: In se formaliter stantem, nego. Unde & pœna imponetur actui externo prout habenti derivatam malitiã.

Ex alio principio non concludit argumentum: procedit enim de posse infligere pœnas pro solo actu externo: circa quod dici posset, pro solo actu externo, etiam non conjuncto interiori malitiã, posse Deum destinare aliquod malum perpetiendum; est enim absolutus nostri Dominus, licet illud malum non sit habiturum formalitatem pœnæ, quia hæc supponit culpam, culpa actum liberum, libertas internitatem.

Quæ adferuntur de Judice temporali, non convincunt: quia ille fallibilis est, & unusquisque ad abditum securitatis, ante illos recurreret, nempe: quod internum actum non habuerit; debuit ergo ad actum interiorem, ab illo non attendi. Imò etiam si aliunde constaret de carentia interioris malitiæ, possent per multos judicare secundum allegata & probata, circa solum actum externum, scientiaque illa quæ foret per accidens, non posset interturbare statum ejus, quod per se est.

QUARTUM ARGUMENTUM est. Quia posito quod actus externus addat malitiam vel bonitatem novam, multò facilius explicantur.

PRIMUM, quod facilius explicatur, est: Cur non sufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ, di-

n

cere

cere solum actum internum, & efficax desiderium, sed est necesse dicere actum externum?

RESPONDET Lugo n. 66. Præceptum Confessionis non est confitendi demerita, sed peccata: Si ergo actus externus non augeat peccatum in ratione peccati, nec erit obligatio illi confitendi. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum, quia non respondet ad punctum, quare scilicet actum externum confiteri debeamus, si ille non augeat peccatum. Tum, quia facile dicerent oppositi quod actus externus solus, non sit peccatum, sed conjunctus interno, addat malitiam. Tum quia, ut addit Ripalda etiam demerita subdantur clavis: quia non solum absolvimur à culpa, sed etiam à poenâ.

RESPONDET 2. Idem. Quod eodem modo esset obligatio confitendi effectum secutum ex peccato, si actus externus superaddit malitiam. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT, quia concedit sequelam Ripaldæ n. 62. *Sed aliter*

RESPONDETUR 3. Ex eo actum externum confitendum esse: quia habet derivatam malitiam ab actu interno præsentis formaliter vel virtualiter, & sicut iusta est causa confitendi novitas malitiæ: Ita iusta erit causa confitendi malitiæ derivatio, accedente præcipue Institutoris Christi mente: quam nobis doctrina Ecclesiæ applicuit.

SECUNDUM, quod facilius in hac sententia explicatur, est; Quare desideranti efficaciter Martyrium neget Deus præmium speciale Martyris.

RESPONDET Lugo. Martyrium consummatum ex peculiari privilegio adferre augmentum, vel etiam infusionem primam gratiæ. Unde sicut confert justificationem, non est mirum, quod Deus voluerit etiam illi conferre laureolam accidentalem, ex opere operato, ultra dignitatem operis, præcipue quia illa laureola non est pars præmii condigna: Nam totus valor refertur ad gratiam & gloriam, sed est præmium quoddam correspondens merito congruo, quod præmium potuit Deus velle dare, quando ponitur actio externa, saltem ex gratitudine. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum, quia in ordine ad gratitudinem, actus externus martyrii, augeat aliquid. Ergo & in ordine ad meritum augebit valorem. Tum, quia vel datum est actui externo hoc privilegium ex mera gratiâ: vel certe ex exigentia objecti? non primum: quæ enim huius ratio? Communisque fidelium apprehensio, advertit in actu externo martyrii, eam proportionem ad aureolam, quam non dicit osculum terræ. Si autem dicatur secundum? Ergo apparet in actu externo, haberi aliquid meritum specialis præmii, quod negatur, posito so-

lo actu interno moriendi, qui id sit, si nihil actus externus superaddit bonitatis? Tum, quia concessio, quod illud meritum aureolæ per actum externum, sit meritum de congruo, non debet inde inferri: quod non augeat meritum, sed potius oppositum, quamvis illud meritum, non sit de condigno. Tum, quia non apparet, cur ex eo quod illud meritum, sit de congruo aureolæ, deiciatur actio externa à ratione meriti: Nam vel ex eo deicitur, quia nullum est meritum de condigno ad finalem perseverantiam: & ex hoc fundamento nihil concluditur: quia etiam actus interni, de condigno, non merentur finalem perseverantiam: & tamen illis tribuitur perfecta formalitas meriti: Vel ex eo deiceretur actio externa à ratione meriti de condigno: quia non fieret in gratia præhabita? sed id non convincit: sæpe enim præhabetur; & sicut actus interni, qui sunt merita non nisi de congruo, verè sunt merita, habentque suam bonitatem; ita poterunt habere eandem etiam actus externi. Tum, quia ut urget Ripalda: Meritum congruum donorum accidentalium, vel non est dividuum à merito gratiæ: quia Deus non accipiat aliquas actiones ad accidentaria præmia, nisi simul ad promerendam gratiam: Si autem est dividuum, ex eo esset dividuum, quia valor est exiguus actionis, qui non sufficit æquare magnitudinem præmii substantialis: ex quo ipso sequitur, quod competat actui externo ratio meriti.

RESPONDETUR aliter. Quod scilicet actio externa martyrii, habeat in se rationem derivatam bonitatis, cui non nisi ita derivatæ, decrevit Deus se daturum præmium, licet non habeat primariam rationem meriti.

TERTIUM, quod facilius in hac materia explicatur, est: Cur Deus in decernenda gloria Prædestinatis, non attenderit ad prævisionem solius interni desiderii ad moriendum, quod habuit Christus, sed ad prævisionem ipsius actus externi mortis obitæ; ad quam eternitatem, cur attenderetur si non augeat meritum?

RESPONDET Lugo, Deum expectasse mortem ipsam Christi; quia usque ad illam duravit meritum actuale ipsius Christi, cum usque ad ultimum illud instans, semper meruerit per actus internos; voluit autem Deus, salutem nostram per omnia merita Christum obtinere; & quamvis non durasset meritum usque ad ultimum instans, sufficit durasse satisfactionem, quam augeat actio externa. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum, quia si actio externa augeatur satisfactio. E. augeatur & meritum. Tum, quia videtur ab omnibus supponi quod nulla fuerit actio Christi satisfactiva, quia fuerit meritoria. Tum, quia hoc ipsum est arbitrarium, dicere, quod expectavit Deus non positionem actus externi, sed solos internos. *Hinc aliter*

RESPON-

RESPONDETUR. Quòd scilicet externa passio Christi habuerit etiam derivatam bonitatem, & hanc fuisse expectatam.

QUINTUM ARGUMENTUM est ab Auctoritate: nam Aug. 3. Doctrin. 15. dicit, malà voluntate quisque miser efficitur, sed inferior potestatem, quā desiderium malæ voluntatis impletur.

RESPONDETUR. Hic Augustinum nihil agere de actu externo, esseque hunc sensum didici: miseri quidem sumus actu peccando, sed in hoc peccato condistinguendo desiderium peccandi, & ipsum actuale peccatum, deterius est & magis completum, ipsum peccatum actuale.

RESPONDET alii, quod actione externa, inferior homo reddatur occasionaliter, ut frequentius efficaciusque velit malum.

Recurrendo ad dicta: Dici potest inferiorem hominem reddi actione externā tanquam derivatam malitiam participante.

Opponit insuper sibi Arriaga, sequi ex opposita sententia, quòd qui vellet dare quantum est ex se infinitam elemosynam, mereretur infinitum primum. Sed hoc Argumentum etiam opposito solvendum, quia nemo negat, actum internum esse meritum: cur ergo pro illo appetitum non dabitur infinitum primum? Dicitur negatur sequi. Ratio, ut meritum sit infinitum, non sufficit ut terminetur ad aliquid infinitum: Nam hoc facit illud meritum esse non nisi extrinsece infinitum, sed est necesse ut illud meritum in entitate sit infinitum, idque ratione adveniente infinitæ, voluntarii infiniti &c. quod quia illi actioni non competit, fit, ut illa non sit infinita.

DIFFICULTAS II.

Argumenta opposita partis, & Decisio Difficultatis.

PRIMA RATIO est ab Auctoritate.

AUCTORITAS I. est S. Paul. 2. ad Corinth. 8. *Quemadmodum promptus est animus voluntarius sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est secundum id quod habet, acceptabit: non secundum id, quod non habet.*

RESPONDETUR ex Vasqu. & Arriaga, hanc Auctoritatem non esse ad propositum. Neque enim Apostolus mentionem illic ullam facit de æqualitate actuum, quoad intensiorem, vel quoad id, quod illa voluntas tanquam obiectum appetit. Fortè etiam loquitur illic Apostolus exhortando illos ad collationem elemosynarum indigentibus, quæ sola juvat eos, non actus internus: estque pauperibus accepta, secundum quod prodit in actum externum. Aliam explicationem adfert Arriaga, ut scilicet darent elemosynam: quia illa etiam minor, ob bonum animi & ob difficultates, tam accepta est Deo, quam alia longè major in Divite.

AUCTORITAS 2. est S. August. qui lib. 1. de Lib. Arbitr. cap. 3. docet; *Eum, qui vult, sed non potest abuti alienâ uxore; non minus esse reum, quam si de facto abuteretur.* Unde etiam & Gregor. Hom. 5. in Evang. dicit de Deo: *Cor namque non substantiam pensat.*

RESPONDERI potest. Quòd hinc loquatur Aug. de voluntatibus inter se comparatis, & dicat: Si sit voluntas unius abutendi alienâ sine effectu, & voluntas alius cum effectu; hæ voluntates si inter se comparentur, non minus est una peccaminosa quam alia ob æqualem primitivam malitiam. Sed non negat Aug. derivatam malitiam actui externo.

AUCTORITAS 3. est S. Leonis Ser. 40. de Junio 10. mensis. *Subinde æquatur merito, qui distat impendio: quia potest par esse animus, ubi dispar est census.*

RESPONDETUR eadem, ut ante, Responsione.

Quando autem universaliter dicunt PP. Voluntatem stare pro facto; Respondet Ripalda disp. 68. n. 34. in primis retorquendo Argumentum: Nam desiderium operis interni omnium confessione pro opere completo non reputatur: neque enim desiderantes merita Beatissimæ, habent merita ejusdem. Deinde dicit, voluntatem apud Deum pro facto reputari, quia scilicet Deus in ordine ad pœnas & primum non æstimat præcisè actiones externas, ut homines solent, sed potissimum attendit ad interiora. Vel voluntas pro facto reputatur, hoc sensu; ut si impediatur voluntas ab actu externo, non imputetur illi in pœnam, negatio actus externi, cum tamen inter homines, impeditio ne aliquis actu externo v. g. militet, dejiciat hominem ab habendo stipendio.

RATIO 2. est. Difficile & durum videtur, quod ex duobus volentibus efficaciter occidere, alter mereatur apud Deum majorem pœnam, præcisè propter actum externum; cum sint omnino æquales in affectu & peccato interno: & tamen PP. dicunt juxta mensuram malitiæ & culpæ, futuram pœnam.

RESPONDET Ripalda cum æquali culpa cæteris paribus absurdam esse inæqualitatem pœnarum, secus cæteris imparibus. Quia verò actio externa addit aliquid supra internam; ratione hujus magis punitur.

Conformiter ad dicta concedendum est; esse illic æqualitatem in primitiva malitia, sed in derivata, esse excessum, ratione externi actus qui magis punitur.

INSTAT Lugo, quòd in Sententia Ripaldæ major peccator sæpè mitius puniretur quam qui minus peccasset, quia fieri posset, ut cum minori malitia interna ponatur actum externum, & alter sine actu externo, graviora peccata committeret.

h 2 RESPON-

RESPONDERI posset, quod actus externus augeat malitiam cæteris paribus, ita, ut si in utroque interna malitia sit æqualis, qui ponit actum in super externum, augeat illam malitiam: sed si cætera non sint paria, potest sine actu externo augeri hæc malitia: quando scilicet est tantus excessus actus interni, ut superet illud ad litamentum, quod poni posset ab actu externo. Quo etiam modo responderi debet ad alia, quæ adfert idem Lugo.

Advertit Ripalda condistinctas esse formalitates, reprehensibilitatis, & vituperabilitatis: quia vituperare potest etiam inferior, reprehendere non nisi superior: alia etiam est formalitas laudabilitatis, & alia remunerabilitatis: quia prior potest haberi etiam ab inferiori, posterior non nisi à superiore. Unde etiam potest esse actus magis laudabilis & minus remunerabilis: quia fieri potest, ut bonitas actus sit major, quem sequitur laudabilitas, & tamen dignitas subiecti quam sequitur remunerabilitas, minor sit.

RATIO 3. communis est. Actio exterior non est formaliter libera, & præcedit sine novo exercitio libertatis, cæco enim modo obediunt potentie exteriores, voluntati efficaciter impetanti, & multo magis quam bruta: proinde, sicut ex eo, quod equus movetur, quando ego volo, non augetur meritum meum, vel demeritum; ita neque ex eo, quod moveatur pes vel manus. Tam enim unus motus est necessarius, quam alius, supposita meâ efficaci voluntate. Ergo Actio exterior, non auget meritum vel demeritum.

RESPONDETUR. Actione externâ non augeri meritum vel demeritum primitivè, augeri derivativè. Quod autem dicitur, similes esse actiones externas actionibus brutorum; id non convincit: Nam nullam habent honestatem derivatam bruta ex aliquo imperio, habent autem actiones externæ, constituentes cum internis, eandem moraliter actionem. Et sicut ipsæ actiones externæ pœnales, sunt etiâ satisfactivæ per oppositos, & tamen actiones brutorum non habent vim satisfaciendi; Ita poterunt etiam habere derivatam bonitatem vel malitiam. Quamvis ergo concedatur, quod æque subsint actiones externæ dominio voluntatis atque actiones bruti cicurati; quia tamen actiones priores, sunt actiones principii rationalis, capacitatem habere possunt, alicujus honestatis, saltem derivatæ; quod non convenit actionibus brutorum.

Paulo aliter eidem argumento respondet Ripalda: quod scilicet, quamvis per actionem externam utpote in se non liberam, non augeatur bonitas moralis, quæ sumitur per respectum moralem, ad objectum propositum à dictamine suppositi operantis; tamen auget conducen-
tiam in bonum extrinsecum Dei & Reip. rationalis.

INSTAT pluribus Instantiis Arriaga. Si quis jaculetur animo occidendi alium, & ille se subducatur; non minus erit reus coram Deo, ac si occidisset. Ponamus duos æquali volitione volentes confodere tertium, obstupescat unus manus miraculosè; nunquid uterque non erunt æquales in culpa? Comedat aliquis carnes die Jovis putans esse diem Veneris cum non sit; non minus peccabit, quam si re verâ esset dies Veneris & similia.

RESPONDETUR. Quod attinet ad illas occasionis, ostenditur æqualitas non nisi quoad malitiam internam: inde tamen non sequitur, quod actio externa nullam importet malitiam. Allata de comestione non faciunt in oppositos, dicent enim: quod illic ponatur actus exterior talis, qualis poneretur si re vera esset dies Veneris: Unde haberetur tota completa malitia stans in actu externo & interno. Ut tandem decidatur difficultas,

PRÆMITTO 1. *Duplicem posse nos cogitare honestatem vel inhonestatem quandam primitivam, quæ stat in ipso, usu libertatis recto dictamine præinformata, & quandam honestatem vel inhonestatem derivatam, quæ est honestas, vel inhonestas, actionis ex præsuppositione prioris oriunda, non continens in se formalem libertatem.*

PRÆMITTO 2. *Rationem derivati in quacunque materia duplicem haberi posse.* Primo ita: ut in illo ipso in quod derivatur, nihil plus sit, quam vel denominatio extrinseca, mera attractio intentionalis, vel physica à primitivo, sive, g. denominatio cogniti in objecto extrinseco, est denominatio extrinseca & sola attractio objecti, tanquam termini cognitionis. Similis etiam est derivatio albi in parietem ab albedine, in quem etiam albedo se derivat nihil illi ipsi in se spectato communicando ex se. Secunda Ratio derivati, ita potest haberi: ut primario quidem originativè & radicaliter sit aliqua formalitas in primitivo, ita tamen, ut etiam in ipso derivato, habeatur aliquid, licet non eodem modo; ita v. g. aqua originativè habetur in fonte, derivativè in alveo. Calor etiam originativè est in igne, derivatur tamen etiam in ferum. Homo cum non sit sui ipsius causa & suæ entitatis; non habet rationem primitivam entis, habet tamen derivatam & participatam à Deo, per quam verè constituitur, ne sit nihil.

PRÆMITTO 3. *In quo stet derivata ista honestas vel inhonestas, contenta tamen suo modo præcisè in ipsa actione externa: & non stat quidem, ut dixi, in continentia usus formalis libertatis præinformata recto vel pravo dictamine: quia hic usus, est in ipsa volitione, quæ est quid internum. Sed stat in hoc: quia in circumstantia illius prioris, habet convenientiam vel inconvenientiam ad naturam intellectualem; habet quandam regulatam vel irregulatam stru-*

QUÆSTIO II.

De Divisione in Actum imperantem & imperatum?

Non pauca hic discutienda essent, quæ aliàs in Ethicis & Animastica tractata sunt. Ut, an actus imperatus sit liber? Quis influxus actus imperantis in imperatum? sed illis missis aliqua hic attingenda.

DIFFICULTAS I.

An Actus supernaturalis possit imperari ab Actu malo?

Posset quidem universaliter quæri: An actus malus possit imperare actum bonum? quia tamen aliqui cum Hurt. d. 135. de Fide §. 41. censent actum bonum naturalem, vitari posse ex fine extrinseco, & imperari à malo, non tamen actum supernaturalem; unde esset argumentatio à majori ad minus: Si actus supernaturalis potest imperari à malo actu, poterit & naturalis. Hoc ut decidatur

DICENDUM est. Actum bonum supernaturalem posse imperari ab actu malo, est Conclusio Cajet. ex nostris eam docent Ripalda de ente supernaturali d. 50. Oviedo Tr. 4. contr. 7. n. 4. Arriagad. 18. n. 2. Salaz. Granado, Lugo de Pœnit. d. 15. §. 4. contra Suar. Vasq. Valent. Tannerum, & contra Koning qui mediam viam init.

PROBATUR AUCTORITATE.

1. AUCTORITAS est S. Thom. Quæst. 2. de malo c. 4. ad 2. Ubi expresse docet, contingit tamen actui, secundum se bono, adjungi aliquem actum malum, secundum aliquem ordinem, & secundum actum malum, bonus dicitur aliquando malificari: non quod in seipso sit malus: sicut dare eleemosynam pauperi, vel diligere Deum, est actus secundum se bonus; sed referre actum hujusmodi ad finem aliquem inordinatum, scil. cupiditatis aut inanis gloriæ; est quidem alius actus malus.

2. AUCTORITAS est PP. quos adfert Ripalda cit. S. 4. ex quibus universaliter colligitur, monere eosdem, ne actus bonos mala intentione faciamus. Unde supponunt hoc ipso fieri posse illos tali intentione. Quæ verba PP. cum non loquantur de solis actionibus externis; accipi possunt ut sonant, adeoque universaliter cum extensione etiam ad actus internos. Ita loquitur Aug. in pl. 120. explicans illa verba: Super manum dexteræ suæ: Si propter vitam æternam opereris; dextera sola operatur: Si autem habet intentionem ad vitam æternam, sed subrepsit tibi cupiditas vitæ temporalis, ut attendas etiam ista quando facis opus bonum, ut sic tibi aliquid retribuat;

duram operis externi, decentis vel non decentis rationale principium, & ita mala omnino & quidem mala primario est voluntas homicidii, sed ipsa laniena corporis humani, effusio sanguinis, creptio vitæ violenta, dicit etiam in se turpitudinem & inhonestatem, constituitque heterogeneæ, ut loquitur Ripalda demeritum: hoc est, non ut pars homogenea, in qua seorsim ab aliis sit demeritum, sed quæ simul cum aliis, faciat demeritum.

DICENDUM est. Quod actio externa licet non adferat nec augeat primitivam malitiam vel inhonestatem, hac enim ut dixi, stat in ipso libertatis usu qui internus est, adfert tamen & augeat malitiam, vel inhonestatem derivatam derivatione explicata.

PROBATUR 1. Conclusio consensu etiam oppositorum, qui admittunt etiam derivatam inhonestatem, licet forte non ita eam explicant.

PROBATUR 2. à Definitione: Derivata honestas vel inhonestas actionis externæ, est disconvenientia vel convenientia ad naturam intelligentiam actionis externæ, procedens ex suppositione boni vel mali usus libertatis. Sed datur talis convenientia vel disconvenientia actionis externæ ut dictum sup. Ergo datur inhonestas derivata. Et certe detestationem & horrorem rationabilem experimur in nobis, non solum actionis internæ homicidii, sed etiam externæ, sine iure patrata.

PROBATUR 3. Non habet se actio externa sicut merus effectus, qui sequitur. Unde etiam oppositi docent, quod effectus, non sit necessarius subijciendus confessioni, subijcienda actio externa; & tamen tam actio externa quam effectus dicunt etiam conjunctionem cum malitia interna tanquam cum suo principio: Ergo apparet, quod non ex hac conjunctione, sed insuper ex continentia malitiæ licet derivata in ipsa actione externa, oriatur hæc obligatio.

Videtur tamen superesse hæc difficultas, quod scil. improbabile sit, ut si aliquis velit dicere coronam & non possit, impeditus ab alio vel ab ægritudine; non habeat æquale meritum cum illo qui dicit: quia illi expeditum est dicere. Et quidem quod ad voluntatem illius attinet; uterque habet meritum: sed non apparet etiam iustum, ut negatio actionis & positio, saltem derivatam honestatem habentis, æquale habeat premium. Et sicut oppositi docent, quod in exercitio actionis externæ, augeatur meritum per accidens, propter repetitionem actuum; ita & hic augebitur meritum, per actionem honestam derivatam. Cæterum dolor ille & alii affectus quos habet aliquis, quod actionem externam meritoriam non ponit expedit; supplet defectum actionis externæ, pertinetque ad providentiam Divinam æquare illos duos. Sed si per aliquem staret, ne ponatur actum externum; indubie minus merebitur.